



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

25. An qui sine Ordine requisito administrat Sacramenta, sit irregularis? Et
an laicus exercens actum Ordinis, v. g. sacramentaliter absolvens, &c.
incurrat irregularitatem? Et in textu huius ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XXV.

An qui sine Ordine requisito administrat Sacramenta, sit irregularis?

Et an laicus exercens actum Ordinis, verbi gratia, Sacramentaliter absolvens, &c. incurrat irregularitatem?

Et in textu hujus Ref. multi & diversi casus adducuntur, pro praxi prædictarum questionum. Ex p. 4. tract. 2. Refol. 56.

§. 1. S. Vpono primò quòd si quis præsumat solemniter baptizare carens Ordine ad id requisito & qui sine sacerdotali Ordine præsumat Missam celebrare, efficitur irregularis, ex cap. 1. & 2. de Cler. non ordin. ministr. * Sed difficultas est, an irregularitatem incurrat is qui sine Ordine requisito, administrat alia Sacramenta? ut v. g. si Clericus præsumat sacramentaliter absolvere, vel conferre Extremam-unctionem, imò & Sacerdos qui solum priori ordinatione est ordinatus. Item si simplex Sacerdos præsumat conferre Sacramentum Confirmationis, vel Ordinis, &c. ad hanc difficultatem communiter respondent Doctores affirmativè, vide Avilam part. 7. disputat. 9. sessione 2. dub. 15. Coninch disp. 18. dub. 6. num. 48.

2. Sed, ut verum fatear cum Ioan. Præposito in 3. part. quest. 5. dub. 6. num. 35. hæc opinio videtur pati difficultatem, cum nullo iure expresse habeatur aliquem carentem Ordine administrantem Sacramenta fieri irregularem. Sed DD. id tradunt ex cap. 1. cit. ubi dicitur. Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum Officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur ab Ecclesia, & nunquam ordinetur. Sub divinis autem Officiis non satis constat hic contineri administrationem Sacramentorum, cum sæpè in iure inter se distinguantur, ut patet ex c. Episcoporum de privileg. in 6. & ex cap. responsio, de sent. excomm. c. alma mater, eodem tit. in 6. & ex Trident. sess. 21. c. 4. de reform. Confirmatur, quia Baptismus in cap. cit. distinguitur contra divinum Officium. Ergo non videtur satis constare divinum Officium ibi comprehendere Sacramentorum administrationem, quamvis quibusdam aliis capitulis comprehendere videatur, & ideo opinio negativa videtur aliquibus probabilis, & illam docet Sylvester ver. Confessor. 1. ego autem non audeo recedere ab opinione affirmativa.

3. Notandum est tamen hic obiter quòd digladiantur DD. inter se, an laicus exercens actum Ordinis incurrat irregularitatem? alii negant, alii affirmant, & omnes quidem probabiliter; sed mihi affirmativa opinio videtur probabilior, quia licet titulus affixus in supradictis capitulis loquatur de Clericis usurpantibus Ordinem quo carent, tamen dicta iura absque limitatione loquuntur de usurpante Ordinem, quem non habet, & titulus ipsius affixus post ipsa iura lata affixus est, & non à ferente illa, ut bene observat Præpos. ubi supra, & Hurtado ubi infra.

4. Verum ut hæc irregularitas incurratur sive à Clerico, sive à laico, requiritur ut Ordinem quem usurpat exerceat seriò, & quòd exerceat illum ut ordinatus, seu solemniter, id est eo modo, quo nequeat à non ordinato exerceri, unde laici qui exercent Ordines minores quocumque modo eos exercent, non sunt irregulares, quia actus eorum Ordinum jam non censentur proprii eorum, nec qui in Missa canit epistolam sine manipulo, quamvis cum Dalmatica. Imò laicus, canens prædicta cum om-

Tom. V.

nibus requisitis, quamvis peccet, non fit irregularis si id non efficiat animo exercendi eum Ordinem, sed supplendi defectum ordinati, & qui baptizat non solemniter, quamvis sit laicus, & extra necessitatem, non fit irregularis, & qui fingens se Parochum assumit matrimonio, non fit irregularis, & hæc omnia docet Hurtado disputat. 2. de irregular. diff. 2. num. 5. & alii; licet, ut supra dixi, probabiliter aliqui alleant absolute laicum exercentem actum Ordinis non fieri irregularem. Vnde ego olim interrogatus, an laicus Sacramentaliter absolvens incurrat irregularitatem? respondi negativè cum Sayro, Henriquez & aliis, quos citat & sequitur Barbosa in Collect. tom. 2. lib. 5. tit. 28. cap. 1. num. 7. licet magis probabiliter contrarium dicendum sit, quia talis absolutio est actus Ordinis: ergo, &c.

RESOL. XXVI.

An Clericus nondum Sacerdos, si excipiat alienus confessionem efficiatur irregularis?

Et an in irregularitate exercendi ordinem, quem non habet, possit Episcopus dispensare, ut utatur Ordine suscepto?

Et quid, ut ascendat ad Ordines superiores, si delictum est occultum, an post Concilium Tridentinum Episcopus possit dispensare? Ex parte 4. tractat. 2. Refol. 91.

§. 1. A. Affirmativè respondet Sayrus de censuris lib. 7. cap. 10. num. 5. Henriquez lib. 14. ref. præterea cap. 6. §. 2. Majolus de irregular. lib. 4. c. 13. n. 5. Avila de censur. part. 7. disput. 9. dub. 15. conclus. 1. Bonacina de censur. disp. 7. §. 3. punct. 6. num. 4. & alii penes ipsos. Ratio est, quia sic determinatur in c. 1. de Clerico non ordinato, &c. ibi: Si quis baptizaverit vel aliquod divinum Officium exercuerit, sed absolutio sacramentalis est divinum Officium: ergo.

2. Sed, ut verum fatear, hæc opinio videtur pati difficultatem, cum nullo iure expresse habeatur aliquem carentem Ordine administrantem Sacramenta fieri irregularem, sed Doctores id tradunt ex citato cap. 1. Sed sub nomine divinorum Officiorum non satis constat contineri in dicto capite administrationem Sacramentorum, cum sæpè in iure inter se distinguantur, ut patet ex capis. Episcoporum, de privileg. in 6. & ex capis. responsio, de sentent. excommunicat. cap. alma mater, eodem tit. in 6. & ex Concilio Tridentino sessio. 21. capite quarto, de reformat. Quod confirmatur (attende quæso amice Lector) ex contextu literæ supradictæ cap. 1. ubi Baptismus distinguitur contra divinum Officium. Ergo non videtur satis constare divinum Officium in dicto capitulo comprehendere Sacramentorum administrationem, quamvis quibusdam aliis capitulis comprehendere videatur. Sed quia affirmativa sententia est communis, non audeo ab ea recedere. Vide Coninch de Sacram. disp. 18. dub. 6. num. 48.

3. Notandum est tamen hic obiter, quòd in Sup. contentum irregularitatem exercendi Ordinem, quem non habet, Episcopus potest dispensare, ut utatur Ordine suscepto. Ita Avila loco citato conclusio. 3. alio §. ejus & post Concilium Tridentinum, etiam ut ascendat ad Ordines superiores, si delictum sit occultum, &c.

Sup. hoc in penul. ref. præterea, ad med.

Sup. hoc in resolutionibus positus in annot. §. Nosandum, hujus ref. & signat in ejus ref. 1. & §. 5. Nota hic etiam, & in aliis ejus prima not.

Sup. hoc in ref. præterea §. 1. à lin. 4. & in alio §. ejus annot.

in hoc §. sup. in ref. 24. §. ult. & in alio §. ejus not. virtute Cruciata.